UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Impedimentum Octavum Ordo Cap. IX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40132

Visual Library

contingit in impedimento ſolemnis Voti, vel Ordinis Sacri, quod, quamvis in altero dumtaxat inveniatur, irritum tamen reddit matrimonium. Sunt nihilominus in caſu noſtro aliquot exceptiones, quas admittit Sanchez, *a* reiicit verò Averſa, *b* quaſque, ſi tempus tibi ſuppetit, & curioſitas movet, vel neceſſitas decidendi urgeat, apud ipſos lege, rariſſimè enim evenire ſolent.

a *Sanc. l. 7 matr. d.* 78. *n.* 3.
b *Averſa de matr. q.* 18. *ſect.* 5.

CAPUT VII.

Impedimentum Sextum.

Cultus diſparitas.

1. INter perſonam baptizatam, & non baptizatam, quamvis Cathecumenam, invalidè initur Matrimonium, quod ſignificamus, cum diſparitatem cultus eſſe aſſerimus impedimentum dirimens. Id autem eſt inductum Jure Eccleſiaſtico propter periculum, quod ſubiret proles naſcitura pravæ educationis. Quod quidem periculum notat, Matrimonium inter Fidelem, & Infidelem illicitum jure naturæ eſſe, ſed non notat eſſe invalidum, ut minus rectè aliquot pauci putant. Locum Juris, in quo hoc impedimentum conſtituitur, non facilè invenies; id, quod pluribus diſputatum habes apud *c* Pontium; ſatis tamen nobis eſt, aſſerere, ſaltem ipſa conſuetudine; & uſu à Sancta Eccleſia illud fuiſſe approbatum.

2. Si Infidelitas ſuperveniat Matrimonio jam contracto, illud non dirimit, ſed qua ratione poſſit eſſe cauſa divortii infra dicam. *d*

3. Infidelem autem, dixi, nam cum hæretico contractum Matrimonium à Catholico validum eſt, quia Hæreticus ſupponitur baptizatus; erit tamen illicitum, quia regulariter timentur pericula malæ educationis filiorum, vel perverſionis alterius conjugis, quibus tamen in raro caſu ceſſantibus, poſſet Summus Pontifex diſpenſare. Quæ, & ſimilia diſtinctius dicam infra, *e* & paſſim *f* Doctores.

c *Pont. l.* 7. *n.* 17.
d *Infra Tr.* 7. *De oblig. c.* 3. §. 7. *à n.* 2.
e *Infra Tr.* 5. *de matr. ad Sacr. c.* 5. *& Tract.* 7. *De oblig. c.* 3. §. *à n.* 2.
f *Sanc. l.* 7. *d.* 72. *Conin. d.* 31. *dub.* 3. *a n.* 41. *Delugo de Fide d.* 62. *qu.* 2. *Averſa* 3. *c. ſect.* 2.

***

CAPUT VIII.

Impedimentum Septimum.

Vis.

DE Impedimento hoc, quod exurgit ex Vi, Coactione, Metu, dicemus commodius *g* non multo poſt.

g *Infra Tr.* 3. *de ſponſ. c.* 1. §. 2. *& Tr.* 4. *de conſenſu c.* 6. §. 2.

CAPUT IX.

Impedimentum Octavum.

Ordo Sacer.

ORdinem Sacrum, hoc eſt Subdiaconatus, Diaconatus, & Sacerdotium eſſe in Eccleſia Latina impedimentum dirimens Matrimonium, eſt ita certum ut ſit ex *h* Tridentino de Fide.

2. Adde inſuper, ſi ordinatus quis in Sacris audeat Matrimonium contrahere, incidere in excommunicationem latæ ſententiæ ut *i* infra dicemus, & incidere in irregularitatem Bigamiæ ſimilitudinariæ, ut explicabimus, cum de Irregularitate, & denique poſt ſententiam incidere in privationem beneficiorum, ut habetur in Jure. *k*

7. Inquires. In Eccleſia Græca, ſeu Orientali, ſi ordinatus in Sacris ducat uxorem, validène ducit? Nam licet Græcis jam uxoratis antea, concedatur poſtea, Ordines Sacros, non verò Epiſcopatum, validè ſuſcipere, & illos in Matrimonio exercere; tamen non conceditur Matrimonio conjungi eos, qui Sacris Ordinibus ſunt inſigniti: nam propterea quæritur, an ſit ipſis Ordo Sacer impedimentum dirimens, ita, ut, ſi Græcus Sacerdos uxorem ducat, non illicitè modò, ſed invalidè ducat?

4. Reſpondeo, Invalidè dicit Azor *l*, validè Arcudius, *m* cui fortaſſe magis habebit fidem Lector, utpote viro docto ex Græcis, & in ſuis ritibus peritiori, quàm Azor. Ipſum adi.

5. Multa hic eſſent ſuperaddenda, niſi alibi de iis ſufficienter dixiſſem, nam propterea hic indicare loca ſatis erit. Quodnam Sacrilegiũ committat Sacro Ordine initiatus, ſi contra Caſtitatem peccet, dixi in Methodo. *n*

h *Trid. ſeſſ.* 24. *de matr. c.* 3.
i *Inf. hoc eodẽ tr. c.* 17. §. 4.
k *C. Decernimus diſt.* 28.
l *Azor. T.* 1. *tr.* 13. *l.* 14. *q.* 7.
m *Arcud. in Concord.* 7. *c.* 41.
n *In Meth. Conf. l.* 2. *c.* 7. §. 14. *&* §. 1.

Quid

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Quid de Sacerdote Græco? Dixi in libris Decalogi. *a*

An Sponſus invita Sponſa, Ordinem Sacrum licitè ſuſcipere valeat? Infra. *b*

An Ordo Sacer diſſolvat vinculum Matrimonii Rati? Infra, *c*

An ex conſenſu uxoris poſſit ordinari uxoratus, & quid ſi ordinetur, abſque ejus conſenſu? Infra. *d*

An obligatio ſervandæ Caſtitatis, annexa ordinato in Sacris ſit ex Voto, an ex Præcepto? Supra. *e*

An infans: vel ignorans hanc obligationem, illam ſubeat, ſi ordinetur? Ibidem, *f*

An Metu, vel vi Coactus Sacrum Ordinem ſuſcipere, eandem ſervandæ Caſtitatis obligationem contrahat? Ibidem. *g*

An in Sacris conſtitutus incurrat excommunicationem, ſi attentet Matrimonium contrahere? Infra, *h* ut modò nu.2. dixi.

CAPUT X.

Impedimentum Nonum.

Ligamen.

1. PErſonam alteri per Matrimonium ligatam non poſſe, vivente conjuge, alteri per ſimile Matrimonium ligari, eſt res adeo certa, & à Tridentino definita, ut probatione nō indigeat, debeatque inquiſitoribus *i* deferri, qui, dum vivit cōjux, aliud Matrimonium contrahit. Immo per aliquos *k* etiam, qui ſponſalia nova, dum ipſe eſt matrimonio devinctus, init cum aliqua.

Conveniunt autem Doctores, hoc impedimentum eſſe ex jure naturali, & Divino, quamvis non negent, olim conceſſiſſe Deum Hebræis polygamiam, hoc eſt uxores plures, de qua re Pontius, *l* aliique multa ſcribunt.

2. Aliud hic ſuperaddere non occurreret, niſi animadverterem, velle Lectorem hac occaſione opportunè doceri, quam cognitionem mortis alterius debeat habere alter conjux, ut poſſit ad alias nuptias animum adjicere.

3. Ajo, hanc Regulam dari ab *m* omnibus receptam, eamque in utroque foro. Non ſufficit ad ſecundum Matrimonium contrahendum veriſimilitudo, vel probabilitas mortis

a Li.2. in Decal. c.6 §.3 n.3.
b Infra Tr. 3. de ſponſal. c.5. §.3
c Infra Tr. 7 de matr. vi Sacr. c. 6. §.2. nu. 13.
d Infr. Tr. 7. de oblig. c.4. §.2.
e Supr. lib. 7. de Ord. 3.3.5.p.
f Ib. à n. 15.
g Ibid. à n.13.
h Infra c. 17. §.14.
i Diana p. 4. T.7. Reſ.4. Caſtrop. T.1. tr.4. d.8. p.16. §.8. Th. Hurt. p.1. Reſp. mo. tr.5. c. 2. nu.32.
k Carena p.2. tit.5. n.6. juncto nu.33. ad 47. Bord. de Sacro Trib. c.22. qu.39. Sed omnino vide Tho. Hurt. l.c. n.34. & 35. qui rectius diſtinguit.
l Pont. l.7. mat. c.49. Sanch. l.7. 1.80.

conjugis, multo minus dubium negativum, ſed neceſſaria eſt cognitio moraliter certa. Hæc regula probatur. Primò, quia in Sacro Textu *n* dicitur. *Donec conſtet, quod ab vita conjux migraverit*, & alibi, *o Donec certum nuncium recipiant de morte virorum.* Secundò, quia hic agimus de tollenda poſſeſſione prioris conjugis: At contra poſſidentem probationes debent eſſe claræ, & convincentes. Tertiò, quia incommoda gravia, quæ ſolent enaſci, ſi inito ſecundo matrimonio, inveniatur vivere: prior conjux, ſatis oſtendunt, in tam gravi negotio ex valde firmis rationibus eſſe procedendum.

4. Neque obſtat Pontifex, dum alibi dicit, *Tamdiu alter conjugum expectetur, donec de ipſius obitu veroſimiliter præſumatur.* Non obſtat, inquam, quia illud (*præſumatur*) notat, requiri veroſimilitudinem, quæ ſolet præſumi in Jure, at hæc in tanta re, in qua agitur de ſecundo matrimonio, non ducitur in Jure, niſi ex rationibus moraliter certis. Aliam explicationem hujus textus affert Gutirez, quam vide apud Sanchez. *p*

5. Verum, his habitis, vix aliquid habuimus. Nam Inquiro, unde nam, & qua ratione ejuſmodi moralis certitudo conquirenda ſit: Moleſta difficultas in praxi, nam propterea id à Jure Judicis *q* arbitrio tandem remittitur. Lucem nihilominus ex ſequentibus probationibus, ſeu conjecturis non exiguam hauriemus.

6. Primò, Non ſufficit ſola conjugis abſentia longi temporis, etiamſi interim adhibita ſit diligentia, & etiam ſi, ut habet Textus, *r* fœmina eſſet juvenis, & ſe continere non poſſet, quia vita hominis poſſet durare uſque ad annos centum. lege Sanchez. l. c. n. 1.

7. Secundò; Non ſufficit, ſi nullus habeatur teſtis de viſu, ſed ſolùm aliqui de auditu, & de fama teſtimonium ferant, conjugem obiiſſe, id enim rem certam nequaquam reddit. Ita communis fert opinio. *s*

8. Tertiò, non ſufficit *t* unus privatus teſtis de viſu, quia pari modo unus, tanti negotii rē certam non reddit. Et quamvis aliquando teſtis unus admittatur ad aliquā probationē certam faciendam; id tamen eſt in re alteri nequaquam præjudicante: at in caſu noſtro præjudicium ferretur ipſi primo conjugi.

9. Obji-

m Ap. Sāc. l.2. d.48. Ap. Barb. in Collect. ad cap. in præſentia de ſponſal.
n D. Dominus de ſecundis nuptiis.
o C. In præſentia. De ſpōſal.
p C. Quoniam ut litē non contextata Ver. Si autem.
q Sanc. l. mox citando n.9.
r Menoch. de arbitr. caſu. 470 n.128. Sanc. l.2. d.46. n.7.
s C. In præſentia de ſponſal.
t Sanc. l.c. 15. Pont. l. 7. c.53. n.3
u Sà c. l.c. n.12.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN